



The Holy See

FRANCISCUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

CONSTITUTIO APOSTOLICA

ECCLESIASTICAE CIRCUMSCRIPTIONES GUIRATINGENSIS, RONDONOPOLITANA,
CUIABENSIS, BARRAGARTIENSIS ET PARANATINGUENSIS NOVA RATIONE
DISPONUNTUR*

Ad totius dominici gregis destinati tutelam, curam continenter adhibemus, ut salutifera Salvatoris beneficia copiose largiterque recidant, qui nunc sunt, in homines. Quapropter Nos aptare properamus ecclesiastica instituta ut proposita haec commodius expediantur. Ideo Venerabilium Fratrum Praesulum Guiratingensis, Rondonopolitani, Barragartiensis et Paranatinguensis admissa rogatu, suffragante Venerabili Fratре Ioanne d'Aniello, Archiepiscopo titulo Paestano et in Brasilia Apostolico Nuntio, de consilio Congregationis pro Episcopis, Apostolica Nostra potestate suffulti, haec quae sequuntur decernimus et statuimus. Rondonopolitanae dioecesi, quae deinceps Rondonopolitana-Guiratingensis appellabitur, municipia tribuuntur *Alto Araguaia, Alto Garças, Alto Taquari, Dom Aquino, Tesouro* et *Guiratinga*, quae antehac ad dioecesim Guiratingensem pertinuerunt, necnon partes municipiorum *Bardão do Melgaço, Cuiabá* et *Santo Antônio do Leverger* ad archidioecesim Cuiabensem spectantium. Cathedrale templum in aede Sanctae Crucis in urbe Rondonopoli et Sancti Ioannis Baptistae in urbe Guiratingensi ponimus.

Praelaturam territorialem item Paranatinguensem, quae Orientalis Veris-Paranatinguensis vocabitur cuiusque sedis episcopalis in urbe locatur Primavera do Leste, ad gradum dignitatemque dioecesis evehimus, cui municipia addimus *Primavera do Leste, Poxoréu* et *Jarudoré*, hucusque ad dioecesim Guiratingensem pertinentia. Novae huius circumscriptionis Cathedrale templum Deo in honorem S. Francisci Xaverii in Paranatinga et S. Christophori in urbe Primavera do Leste dicatum statuimus. Eidem dioecesi municipia *Campo Verde* et *Chapada dos Guimarães* addimus, a dioecesi Rondonopolitana distracta.

Barragartiensi dioecesi municipia addimus *Araguainha, Ponte Branca, Ribeirãozinho* et *Torixoréu*, a dioecesi Guiratingensi seiuncta. Guiratingensem dioecesim extinguimus et eiusdem Seminarium, ad commune Venerabilium Fratrum Episcoporum quorum interest suffragium, Orientalis Veris-Paranatinguensi dioecesi nectimus.

Cetera ad iuris canonici normas temperentur. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Ioannem d'Aniello quem supra memoravimus, legamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re demum ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Episcopis mittantur, contrariis rebus minime quibuslibet obsistentibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto et vicesimo mensis Iunii, anno Domini bis millesimo quarto decimo, Pontificatus Nostri secundo.

FRANCISCUS PP.

De mandato Summi Pontificis

Petrus Parolin

Secretarius Status

Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

Leonardus Erriquenz, *Proton. Apost.*

*AAS, vol. CVI (2014), n. 11, pp. 817-818.